

alii amphibii secundum Democritum, ut et aliae quaedam animantes. Utuntur enim aere quaedam (ex aquaticis) ut praedictum est. Theophrastum sequitur Plinius, dum inquit: Circa Heracleam et Cromnam (alias additur, et Lycum amnem: probe nimurum, mox enim sequitur) eodemque Lyco amne, et multifariam in Ponto unum genus esse Theophrastus prodit, quod extremas fluminum aquas sectetur, cavernasque faciat sibi in terra, atque in his vivat, etiam reciprocis amnibus ficcato littore, effodi ergo: motu demum corporum vivere eos approbant. Circa Heraclaeam eandem eodemque Lyco amne decadente, ovis relicta in limo, generari pisces, qui ad pabula petenda palpitent, exiguis branchiis, quod fieri non indigo humoris, propter quod et Anguillas diutius vivere exemptas aquis. Ova autem in sicco maturari, ut testudinum. Eadem in Ponti regione apprehendi glacie piscium maximi Gobiones, non nisi patinarum calore vitalem motum factentes. In his quidem, tametsi mirabilis, est tamen aliqua ratio. Idem tradit in Paphlagonia effodi pisces gratissimos cibis terrenos, altis scrobbibus, in his locis, ubi nullae restagnant aquae, miraturque etipse gigni sine coitu. Humoris quidem vim aliquam inesse, quam (qualem et) putatis arbitratur, cum in nonnullis reperiantur pisces. Quicquid est, hoc certe minus admirabile talparum facit vita subterranei animalis, nisi forte vermium terrenorum et piscibus natura est. *Neotericis* est piscis fossilis ille, quem Germani *Beisher*, alii *Peifher*, quidam *Meerputten* vocant. *Duorum* sunt *Agricolae generum*. *Majores* nempe, et *minores*. Sonum omnes edunt acutum. E fluminibus, quae currunt in locis palu-

dosis egressi, per riparum venas longius, et interdum in proximi oppidi cellas, neque subterraneas penetrant. Quidam Eruditus *Mustellam fossilem* vocant, eamque ita descripsit Fabricius. Longitudine est palmi, crassitudine digiti, quanquam multo maiores etiam reperiuntur. (Agricola palmos quatuor longos maiores esse scripsit.) Dorsum coloris cinerei: cum punctis multis, maculisque transversis, partim nigris, partim caeruleis. In lateribus linea utrinque nigra et alba. Venter flavus cum maculis albis, et punctis rubris ac nigris, ita parvis, ac si acu factae essent. Ab ore carneae particulae eminent, quas nando extendunt, extra aquam contrahunt. In Misena trans Albim duobus locis, quod scio foduntur. Ad Polnitum amnem; prope Orlantem: et ad Dobram rivum prope Hanam oppidum. Item in pratis ad Rederam fluvium copiose effodiuntur, si flumen inundet. Ex terrae cavernis etiam ingrediuntur lacus et paludes: Cum aquae extra ripas ex crescunt, e terra prodeunt: aquis autem residentibus, in pratis campis relinquuntur, et ubi greges sunt, relicti vorantur a suis. Sordes amant, et in cloacas, quae alia purgari ratione nequeunt, injecti, omnia consumunt. Cum in rivis paludibusque capiuntur recentes, solent a tenuioribus etiam mensis adhiberi. Serviunt imprimis fraudi agyrtarum, qui eos alunt, et vitris inclusos multititudini ostentant pro serpentibus, quia forma a parvo serpente non multum figura differunt. Sunt qui eos spirare putent. Ubi enim plures hujus generis pisces simul sunt, spuma supra eos effertur. Vitro inclusi ore angusto, crescent, et suo quodam succo vivunt usque ad semestre.

CAPVT VIII.

De Lampetra Fluviatili, et Vario, seu Phoxino laevi.

TAB.
XXVIII.
IO. II.

Quam nos *Lampetram fluviatilem* dicimus, in Tholosanis Chatillou, a titillatione, quod cum manu tene-

tur, quasi titillationis sensu variis fluidibus videatur contorquere se et elabi; Germanis Neunaug seu Φωξίνος. Aldrovandi de Piscibus l. 5. c. 9.